

*3* 1678 3  
30 R 4682 P. H. B. A.  
**Michael Cabedius in**

**PARTVM IOANNAE SERE-**  
**nissimæ Lusitaniae Principis.**



**CONIMBRICAE**  
**Apud Ioannem Barrerium Typo-**  
**graphum Regium.**  
**M. D. LIII.**

# Ad Inui&tissimū Ioan-

nem. III. augustum, Lusitanorum Regem.

Michael Cabedius.



A XIMAE, Rex Auguste, Deo immortali habendæ sunt gratia quod & successore tibi, & populo Lusitanoregni hærede cauerit: à quo certè hæc publici in fortunij solatia, tuæ solius pietati donata credimus: ut etiam priuatis populi criminibus spem regni vnicam, & omnium oculos Ioannem tuum erectum nobis deflemus: cuius eò usque omnium animis præsens hæbit memoria, donec familiam istam ab una illius stirpe numerosis nepotibus austam videamus: (quod ille omnium potens faciet eo magis, quo minus nos id meremur miseri. Sum equidem prosecutus, Rex Auguste, publicam meo carmine lætitiam, nullam sane partem eo afflicatus, eius gaudij quod mihi cum omnibus commune fuit, qua die posthumam hanc prolem, regniq; securitatem suscepimus: sed iacentem recenti calamitate, & quodammodo torpente animum ita excitauit optatissimus hic partus, ut mihi satis non fuerit tantum non intra priuatos parietes gaudio insanire, nisi etiam in vulgus raptim conscriptum carmen publicarem. Haud ignarus de re tanta non nisi valde seria, & à præstantissimis componi debere. Scripsi tamen, vt idem mihi de prosperis tuis scribendi tenor constaret: argumenti dignitate fretus, quod non dubitabam nemini non placiturum, licet omnibus carmeo ipsum displiceret. Et, si exultantibus nimia lætitia animis siquid excidat minus circumspecte dictu ignoscimus: non vereor ne quid authori in tam effuso omnium gaudio detrabatur, siquid in carmine minus apte positum sit. Certè si in eo cuquam fortasse aliquid in aorem bene sonabit argumeti felicitati debebitur. Faciat, Rex Auguste, Deus Opt. Max. ut huic nepotis tui nuptiae, & plurimorum filiorum natales magno cum tuo populiq; Lusitani gaudio, multorum doctorum ingenia, & eruditio-  
nem variè olim exerceant. Vlxib. VII. Kal. Febru. Ann. Do-  
m. M. D. LIII.

# Michael Cabedius in

PARTVM IOANNAE SERE-

nissimæ Lusitaniæ Principis.

**D**ij quibus imperium hoc semper stetit, or-  
 (raq; paruis  
 Principijs magno se Lusitania Gangi  
 Imposuit, domitoq; polū p vtrūq; pfudo  
 Signa tulit, postquam Hesperias Eoa carinas  
 Marmora, Pellei prolem indignata tiranni,  
 Non notis vexere vadis, lisique potentem  
 Progeniem per tot, quā venerat, aspera ponti  
 AEquora gemmiferum tandem duxit ad Indum:  
 Qui res Lisiadum nunc, & fundata tot annis  
 Regna armis, opibusque suo sancire paratis  
 Hærede, & magnos Augustæ munere prolis  
 Continuatis auos, sacrumque in sæcula nomen:  
 Dicite Ioannæ faustum quæ sydera partum  
 Excepere, nouum vel qua Lucina resoluit  
 Lege puerperium: Celsi cui tota laboret  
 Aula poli, magnique domus desudet Olympi,  
 Et septem gemini numen deseruit orbis.  
 Nam si vestra humiles hominum se fundit in ortus

A ij

Cura nec exiguos est aspernata penates,  
Priuatique lares in partem vestra fatigant  
Numina: par certè est coluisse frequentibus omnes  
Certatim studijs sacra incunabula diuos.  
O nunquam dignol ix non signanda lapillo  
Occiduis quæ tot populis, tot gaudia mundo  
Contulit Eoo, medioque iacentibus axe  
Gentibus, imperij fines quæ sydera vasti  
Et phœbus, cœlumq; regunt: pars optima nostri  
Vna dies secli, quæ longum fulcit in æuum  
Nutantes hærede domos, nostrique malignæ  
Eripit arbitrium forti, nec casibus vllum  
Fortunæ dedit esse locum, per sanctaq; iniqui  
Iudicia asseruit vulgi à sermonibus olim:  
Et sacra priuatis quid distent pectora curis  
Edocet. Hesperiæ geminis innixa columnis  
Aula domus stabat, lisi fundauerat orbem  
Prole Deus bina, sexu complexus utroque,  
Et regnum firmare suis heredibus, orbi  
Et dare venturas in publica commoda tædas:  
Quas alias donaret opes, aut munera Olympus  
Quæ mèritis augustæ tuis? en contulit æther  
Quod fuit in primis tibi rex sanctissime curis.  
Nempe affectatis, non tu ambitiosa superbi  
Imperij momenta paras, non crimina regum

3

In populum tardis, nec triste minantia factis  
Præsidia accersis crudelibus, at tua postquam  
Regna Deo pietas sat commendasset, & alti  
Religio secura animi, dare fœdera terris,  
Et proprijs statuistit etiam firmare quietem  
Pignoribus nostram, mundoque reponere pacem.  
Per consanguinei commertia mutua iuris.  
Infremit, & tacito connubia murmure damnat  
Vulgus, & imperium thalamis peregrina subire  
Sceptra nouis clamat, natæque in dote locatæ  
Occiduæ ius îsse domus, & pignore ab uno  
Iam prope casuri pendere cacumina regni:  
At tibi fixa Deo constat sententia recti,  
Quæ valido fundata piæ munimine mentis  
Securos nos esse iubet, quo pectori cumq;  
Inclines tractura deos, votique potentem  
Te factura tui: plebis non vana moratus  
Quo fit ut incautæ deliria, fœdera mundi  
Muneris esse tui velles, natamque locares  
Externam in gentem, nato spe certus ab uno  
Innumeram sobolem dominos in regna daturam.  
Continuas, tua qui digni diademata quondam  
Excipient, tradantque nepotibus austæ nepotes.  
Viderat ex alto Saturnius æthere quondam  
Res hominum, postquam Hesperijs cessere carinis.

Aequora, nascentē quæ pīmū Hyperionā torquēt,  
Et dominas sensere rates, quæ numinā tanti  
Imperiū rubrum habant secura profundū:  
Scilicet occiduas Ganges fœlice cohortes  
Flumine, & à primis potauit fontibus Indus:  
Gemmiferis exinde vadis Orientis ab usque  
Vecta plagi soleū dītauit gaza cadentem:  
Mollia pacifica donarunt veilera dextra  
Seres, edoriferas fœlix Panchaia nubes  
Contulit, & nostros pretioso cortice Ganges  
Irriguis arbusta vndis confouit in usus:  
Cinnama miserunt Aràbes, & thura Sabei  
Diuitias misere suas, Cilicu mque remoto  
Limite nota dromas portauit vela camellus,  
Et rude Idumieæ fudauit balsama vitis  
Vulnus, in ignotas nobis ventura medellas.  
Maſte animi Emanuel, & tanti muneris author  
Gentibus, Eos cui fas vulgare recessus:  
Qui dum lisiadum seruire pericula mundo,  
Atque orbis statuis communes omnibus usus  
Afferuit te fama polo, quæ gesta per orbem  
Virtutis testata tuæ venerabile tandem  
Ardua quod decuit nomen super astra locauit.  
Viderat & regno Rex inuictissime per te  
Addita regna tuo tot barbara, totque per orbem

4  
Commoda tantum non patris superantia curas:  
Tum reputans quanta in primis incesserit vno  
Te pietas regnante homines, quo numina cultu  
Exemplis cdocta tuis obseruet, & ætas  
Quos templis arisque Deum tua reddat honores:  
Cogat vt infandi gentes ludibria ritus,  
Et proprios nescire deos, verumq; secutas  
Numen sponte sua pro libertate pacisci  
Doctores diuū dominos. Quæ commoda vestris  
Auspiciis quæsita orbi, Saturnius æquo  
Consilij putat esse Deum quo munere penset.  
Fraternum depastajubar se latior ergo  
Lisiadum genti partus prænuntia magni  
Cynthia protulerat, cornu non ante sereno  
Illa magis luxit mortalibus, astraque pressit  
Insueto signans noua gaudia lumine, quam cum  
Augustum Ioannæ uterum iam nona grauaret  
Signa polo factura, diem venisse beatum  
Qua studijs cumularet onus, conceptaq; quondam  
Munere protanto qua vota reponeret orbis.  
Tunc ad se superos proprijs è sedibus omnes  
Iuppiter Atlantis iubet accersire nepotem:  
Esse quod in medium communi restet agendum  
Consilio, & tanto dignam rem consule cætu.  
Est locus in medio coeli pellucidus axe,

Perpetuo qui sole nitet, zephiroque perennis  
Flante tepet vernum: non illic frigida cogit  
Bruma niues, gelidoue rigent Aquilone pruinæ,  
Et vicina licet nō mio tamen ipse calori  
Fræna tenet Phœbus, molliq; at temperat astro  
Æthera flammiferis illustrans cætera habenis  
Sydera: diuorum gemmata palatia parte  
Ex omni fulgent, proprijsque accensa coruscant  
Luminibus: multæ æthereas hinc inde frequentat  
Stella domos passim, postesque domesticus ignis  
Distinguit sacros, hominum prælucet Olimpus  
Quem factis, cuiusque deos ut mandet in ortum.  
Alt in secessu magni meliore metallo  
Stat sedes augusta Louis, quam plurimus ambie  
Circum Adamas, totusq; suis quam ditat Hydaspes  
Diuitijs, cui donat opes prælargus Eoas  
Indus, & Oceanis pumant vada rubra Pyropum,  
Quin & adoptiui peregrinam emblematis arte  
Natius commendat honos, numenq; benigni  
Sideris, & toto non æthere mitius astrum.  
Hanc primo Natura parens fabricauit ab ævo  
Arte sua rectori orbis, stant atria cætu  
Digna Deum, & Princeps nitet æthereuria toto.  
Excitos Atlantiades huc duxit ab omni  
Parte poli superos: folio consedit eburno

Altitonans, varijs quod secula multa figuris  
Distinxere patri: violatus Iaspide candor  
Assiduo niueus, flammamq; æquante Pyropo  
Intentos in honorem oculos præstringit, & ora  
Aduersi feriunt radij, numenque sedentis  
Defendit vis multa loci: pater ipse laborat  
Lumina sæpe loquens in se conuertere diuūm,  
Nec potis interdum sese minor esse, suaque  
Maiestate cupit, disponitur ordine deinde  
Cætera turba Deūm, stataque ab honore curuli  
Quisque sedet: vario sermone immurmurat aula,  
Inque vicem quæ runt dubijs tractanda repente  
Quæ tanti res arbitrijs: quæ postulet omnes  
Causa Deos: magni num decernenda triumphi  
Pompa sicut regum meritis ingentibus vlli:  
Rursum alias grandis ne rei num causa feratur  
Iudicio cessura Deuni: qui que impius orbem  
Communique simul qui crimine læserit astra.  
An noua iura paret terris imponere mundi  
Rector: & effrenes hominum compescere motus?  
Non alias fas ob causas indicere Olimpo  
Concilium tori, tantumque excire senatum  
Non nisi magnarum fas est ob pondera rerum.  
Dum dubijs fluctuant animi, sic ore locutus  
Dimouit toto Saturnius æthere nubes.

Si mea vulgares versarent pectora curæ  
O superi, si res animum priuata subiret  
Cuiusvis de plebe hominum, defungier ipse  
Arbitrio potius nostro, vilemque cateruam  
Solus, & obscuræ tractare negotia turbæ.  
Nunc quia sollicitam gravioribus anxia mentem  
Cura tenet, sacrosque lares, maioraque pulsat  
Limina, de magnis vos consultatio rebus  
In partem vocat, & toto deducit Olimpo.  
Scitis ut immensi lustratis finibus orbis  
Lisiadum rex Emanuel sua sydera mundo  
Reddidit, & rubris pia signa insixit arenis.  
Primus ab occiduo permensus littore, quicquid  
Fluitibus Eorum lambit spumantibus æquor:  
Europæque dedit septem nescire Triones  
Atq; alium spectare diem, vulgataque saeui  
Oceanî post iura orbi peregrina per astra  
Insuetum direxit iter, quo mutua rerum  
Trafigerent inter se cominiertia gentes,  
Nauitaque indigenas accenseret vndiq; merces.  
Cumque foret rerum, statuit quas optima nasci  
Diuerso Natura solo, mortalibus ægris  
Vsus inops, multa inter se tellure remotis  
Nec dum notus honos alieni cespitis esset:  
Hesperias hic primus opes commisit Eois.

Quæ matutinis enutrit roribus Eos  
 Cassama, quos nardi, messis concinnat odores  
 Vesper habet, mittit Costumq; & Xilon amomi  
 Gentibus Arctois vicina ad frigora Ganges:  
 Et piper, & patria permutat Cinnama veste.  
 Atria quin totis hebeni suffulta columnis,  
 Atque opera illustrat rutili quæ massa metalli  
 A medio deuicta die, & quos tessela conchæ  
 Sectilis artifici distinguit foedere postes.  
 Obstupet extremo Phœbus dum mergitur axe:  
 Lisiadumque iugis eductum Parthica Bacchum  
 Pensat, & infecto Babilonia vellere pellis,  
 Et fluidæ Persæ gentiles vestis in usus  
 Itala carbæsis mutant holoserica peplis.  
 Quid notum sibi serò orbem, quid sydera cœli  
 Altera ab antiquis æui fulsisse tenebris,  
 Totaque quid referam tandem mortalibus, huius  
 Auspicijs, nostri patuisse palatia regni,  
 Et totos vix tanta deos post secula demum  
 Scire homines? nec vos castæ reuerentia mentis  
 Ioannis latet in superos, qui regna paternis  
 Atque suis quanuis sudata laboribus clim  
 Ampla tenet per vos, late sparsumque per orbem  
 Possidet imperium, celsitamen ille sagaci  
 Despectans ex arce animi mortalia cura

Non vano populi plausu, non sanguine atorum  
Tot supra regum, blandis luxusue profusi  
Intumet illecebris, toto famulantibus orbe  
Diuitijs, sed mente Deum complexus, in omne  
Numinis obsequium regnat: non limite moto  
Longius imperium censens, sed finibus illud  
Terrarum cessisse suis ratus, afferit omne  
Religio quod vera Dei, meliore nephando  
Permutans cultu ritus, & adultera sacra,  
Degeneresq; deos. haec nos data gentibus æquum est  
Cœlicolæ, digno pensamus munere, nostra est  
Causa orbis: date pro meritis æqualia tantis  
Præmia, quo regum (sifas est dicere) facta  
Ad maiora animos tam grata exempla fatigent.  
Horum me certè memorem res ipsa coagit  
Vos toto conciro polo, nam tempus in ipso  
Articulo, & vestrum præceps occasio munus  
Deposcit, quo non aliud condignus ullum  
Tot mundo penset regum benefacta piorum.  
Iam pridem occiduo vobis authoribus orbi  
Ioannæ dedimus thalamos, & foedera tursum  
Icimus Hesperiæ gentis per mutua regum  
Pignora: quos populis motus, qua gaudia lberis  
Lux dedit illa, Tagus qua nullo dictior ævo  
Excepit dominum fluuij pallente phafellum,

Augustamque urbi flauescens diuite limo  
Inculit vnda nurum: tunc maxima scilicet illud  
Cura fuit Lisi dominis implere curules,  
Et totas ditare domos heredibus olim.  
Quæ rata vel primis iuuenim congressibus, uno  
Fœlici Lucina manu præstabit in anno:  
Totque vna quondam factura ex prole nepotes  
Iam nono Ioanna uterum fert mense, suamq;  
In lucem iam gestit onus, quo pondera regni  
Nituntur, gentisque salus, & gaudia (quando  
Delicias orbis superi voluisti acerbo  
Funere, & occidua tenebris spem condere gentis)  
Illa marem gestat, quem vos communibus æuum  
In longum studijs educite, certaque mundo  
Pignora, & hoc meritis seruate parentibus: huius  
Omne vacet numen fatis, vacet omnis Olimpus.  
Epse ego nascenti studium, nostrique benignum  
Syderis infundam numen, quod regna secundet  
Illijs, & factis quondam maioribus adsit.  
Dixerat assurgens dictis Natura loquentem  
Talibus exceptit (nutant subsellia tantæ  
Majestate deç) Pater ò Saturnie diuūm  
Atq; hominum, dudum toto te figere vultu  
Me video, & causæ nostrum deposcere nutu  
Velle patrocinium: fateor non dignior vñquam

In medium pro qua stare res venit, & huius  
Haud superum incubit meriti mage gratia cuiquā.  
Scilicet ipsa minus quondam mihi commoda mudi  
Pervarias dispersa plagas ignota manebam  
Tot populis, dum quisq; mei sibi summeret vsus,  
Natiui quam culta soli modò patria partem  
Gleba daret, nec terrarum de corpore tanto  
Mutua cognatis seruirent munia membris,  
Inq; vicem priui nulla esset gratia mundi,  
Nesciret cum se se orbis, terrorque minacis  
Oceani, nec certa poli lex vila notati  
Sisteret audendos peregrina ad climata cursus:  
Nunc post annorum tot secula tota per omnes  
Nota mei partes feror, & mihi redditā, vanum  
Efficiam Emanuel meritum id non auferat: ergo  
Si superi annuitis (te quando authore monemur  
O pater) est animus Ioannæ numine magno  
Augustum dotare vterum, mea constet aucti  
Gratia cui meriti, partu mque ex omnibus vnum  
Eximum præstare orbi: singam ipsa futurum  
Ad regnum molli regalia membra decoro,  
Totaque in Augusto componam sydera vultu.  
Præterea candorem animi, prælargaque quantum  
Ingenium mortale feret dabo: vos iubar astri  
Quisque sui magnis superi prætendite fatis.

Dixerat assensu nunquam maiore senatus  
Lacte a stellati sonuerunt atria cœli.  
Ilicet exultant animis, suffragia primus  
In pueridum quisque cupit permettere fatum,  
Et numen conferre suum: tamen ordine vinci  
Cogit honos, meliorque animos reuerentia frænat,  
Prima Deum ridens vultu regina sereno  
Hoc, inquit, quondam fas sit regnante metallum,  
Gentis in Hesperiæ deuoluere commoda, Gangem  
Ditius, & medio fœcundius axe sequaces  
Ire auri venas, alioque sub orbe sepultas  
Esse palam populis, rutiloq; tumescere tractu  
Præsidium imperio, neruosque in bella daturas.  
Has neque diuitiæ Cræsi, non Lydia toto  
Flumine, & aurifico scallentia balnea rege  
Exuperent: ut sit vulgi quoque fabula quondam,  
Aurea Saturni regnante hoc secla redisse  
Flaua Ceres læto se tunc interserit ore.  
Fœlices nimium queis hoc sub principe nasci  
Continget, dabitur terris quod nulla tulerunt  
Tempora, quod nullis etiam ventura videbit  
Post ætas annis: sterilis non chasmate tellus,  
Aut villa maiore poli vilæsa negabit  
Reddere mandatum semen, vitio ve peribunt  
Eductæ legetes, sed messibus horrea deerunt:

Luxuriabit ager quæcumque in semina cultus:  
Et Flora mandante meus per prata feretur  
Æternum Zephyrus, molli qui germina flatu  
Pelliciens glebae cogat iuuenescere honorem  
Putris, & industo tellurem gramine condat,  
Mellaque iucundos superexundantia rores  
Aluea deſtituent, ibuntque per arua fluenti  
In morem: quin Palladios non vñcta trapeta  
Accipient fructus, & toto copia cornu  
Maior erit: lac sponte fluet, fœcundaque lati  
Armenti pingues distendent vbera pастus.  
Candida tunc hedera redimitus tempora liber  
Excipit assueto iactantior: & mihi Lisi  
Gens, ait, o ſuperi curæ eſt, priuataque gentis  
Contingunt me iura etiam: fœlitia cuius  
Sceptra olim cerno toto clarescere in orbe  
Huic puerō poffeffa, mei ſi numinis vllæ  
Sunt vires. Namque Eoo cur cardine cefſi  
Gentibus occiduis, premeret victoria nomen  
Cur aliena meum volui? nostrosque triumphos  
Obscuraturam cur Gangis ad hostia gentem,  
Atque Indi penetrare ſinus ſum paſſus in imos?  
Scilicet hoc nobis duxi accessisse, quod uſquam  
Lisiadum ſceptris accederet. illa tueri  
Ergo mihi curæ, penitusque imponere Eois

Rebus: ut omittam qualis vindemia per me  
Istius imperio fluat: ut nec vina tenebunt  
Selacubus, nec prouentus vrnalia magnos  
Dolia non capient: calcantis non satis vuis  
Totus ut Autumnus siet, & vindemia ab anno  
Vix tandem decimo populi promatur invsum.  
Regibus inseruit quavis regione feratur,  
Phœbus ait, mea flamma pijs, dudu mque trophaeis  
Luximus Eois, & cum pia signa per axem  
Duceret occasus medium, maiore refulsi  
Luce polus, totaque dedit unclibera nube  
Lumina: nunc cœli quamcumque in parte laborem  
Lisiadum per regna feror: quæ purior olim  
Hoc domino per me fax illustrabit, ut igne  
Aëris infusivitium de pœta salubri  
Seruet io magnis populos (sic fata) triumphis,  
Præterea ingenium varium, pueroque sagacem  
In commune bonum singam quondamque regendis  
Tot terris aptam mentem. lex syderis esto  
Hæc nostri. Mars deinde sero sic ore profatur.  
Huius ego imperio Lybiæ post vasta pertutæ  
Arua nouis Arabum dudu m possessa colonis,  
Atque vagos Nomadas, vetiti sacraria Nili  
Adiungam: quin Caucasus obstructa pruinis  
Claustra Asie vincam, medijsque in viscera mundi

B

Hac sigam pia; signa manū: nōn fabula Pori  
Meadaces prætexet opes, nec postera vano  
Secula Lisiadum ludent annalia versu:  
Sed pueri auspicijs huius, nostroque secundo  
Sydere, Caucaso male defensata rigore  
(Virtutem quis enim murus quæ moenia contra)  
Occiduis magnos reges diademata signis  
Submisissæ canent, vt vi ccessere negato  
Gentibus hospitio Synæ, bellique potentes  
Altera vt Hesperios agnouit Iberia Iberos:  
Vtque peregrini dominos plaga syderis vlos  
Accepit tandem: (prisco pars vltima mundo  
Redditæ) durabo pueri nascentis in vsus  
Ipse meos artus, & membra, animosq; futura  
Audaces in bella dabo, quos nubilus Auster,  
Quosque cadens phœbus, primoq; exhorreat ortu.  
Finierat iungunt votis se turbafauentum  
Cætera cælicolūm, lætoque in fata feruntur  
Carmine, & ingenti resonant subsellia plausu.  
At superūm consulta iubet rata Iuppiter esse,  
A Eternisq; Themim de more incisa tabellis  
In tempus mandare suum, comitataque parcis,  
Et toto petat Augustum Lucina cubile  
Aucta polo: varium comitantum munus in uno  
Cernere erat partu, meliora hic tempora promptis

Prætendit manibus: præfert hic spicæ lassæ  
Serta manu: huic pulchras promittit pápinus vua s:  
Atque suis parcas agitat labor, illius auri  
Massa humeros lassat: captiuæ hæc flumina, & olim  
Mille expugnatas fert vrbes: pensa laborat  
Illa volubilibus connectere gāndia fusis.  
Nullaq; tot comitum vacua est à munere dextra.  
Fœlicis macte arbitrij regum optime, & idem  
Maxime Ioannes non tu præsaga secutus  
Fulmina, non vanos auium captante volatus  
Augurio tua das fatis, non omne iniqui  
Tardatus vulgi, vinclis nec viætima ruptis  
Si fugiat, iecorique caput neget hostia sacro  
Hæres ambiguus rerum: verùm auspice mentis  
Imperio rectæ statuis dijs nostra secundis  
Commoda, & euentus audes spondere futuros.

F I N I S.